Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.

DECRETUM
SALUBERRIMÆ FACULTATIS PARISIENSIS.

DIE Lunæ 8° Aprilis anni 1737, convocatæ ad hoc Facultati ſaluberrimæ, ut ſuper Theſi die Jovis 4° ejuſdem menſis propugnatâ deliberaret, dixit Decanus; Dolere ſe quod in iſtis, quæ tunc primùm extra ordinem convocaſſet, Comitiis, de inquirendo in Collegæ eruditionem atque doctrinam ageretur. Se tamen nec Facultatis dignitati & honori, nec, illud efflagitantibus, Clariſſimo Viro D. RENEAUME, Academiæ Cenſori, pluribuſque aliis meritiſſimis Collegis, potuiſſe non concedere, ut in Theſim cujus quæſtio eſt, *An amica Muſis Hydropoſia*, die Jovis 4° Aprilis propugnatam, & à Præſide M. Henrico BESNIER exaratam, ſaluberrima Facultas animadverteret. Sibi quidem, Decano, hanc Theſim parùm elegantèr ſcriptam, paſsìm obſcuram, &, quibuſdam in locis, vix ac ne vix explicabilem viſam fuiſſe; ſupradictis verò Doctoribus, aliâ etiam de cauſâ, ad Facultatem, eandem Theſim deferri placuiſſe, quod nimirùm ſequentem propoſitionem, quæ in peſſimum ſenſum poſſet fortè detorqueri,

continineret; *Unde ſequitur*, *ingenium* , *utpote quid è triplici ſubſtantiâ conflatum*, *& poſthâc cum illâ communicans*, *indè*, id eſt, alimentis, *reparari:* Quaſi illud intelligi voluiſſet, incogitans, ut ſuſpicari licet, denuntiatæ Theſeos Author, Mentem humanam eſſe quid *diviſibile*, partibus conſtans, *materiale* & *materialis* reparationis capax aut indigum. A quâ ſanè ſententiâ Chriſtianus quilibet planè abhorret.

Addidit præterea Decanus, ipſo die quo Theſis illa propugnabatur, exemplaria, Medicinæ ſtudioſis, cæteriſque aſtantibus diſtribuenda, retrahendo ad ſe atque retinendo, caviſſe, quantum fieri poterat, Facultatem, ne in vulgus tale ſcriptum ſerperet. Sed Medicis Pariſienſibus Catholicam, Apoſtolicam, Romanamque Religionem profiteri ſe, atque obſervare gloriantibus, non ſatis eſſe ſi violatæ tantillùm, aut imprudenter tantùm læſæ Religionis rei non habeantur, decere inſuper, neceſſumque eſſe eos vel leviſſimâ ſuſpicionis umbrâ vacare. Quid igitur in tali rerum ſtatu agendum eſſet, ſaluberrimus Ordo deliberaret.

Quibus auditis atque perpenſis, rogatiſque præſentium & frequentium in iis Comitiis Doctorum hac de re ſuffragiis, cenſuit Facultas ſaluberrima, Theſim cujus quæſtio eſt, *An amica Muſis Hydropoſia*, Doctore Medico Pariſienſi, æque ac ſaluberrimo Ordine indignam eſſe, eamque improbandam, & ſupprimendam, unanimi voce pronuntiavit atque decrevit. Et ſic concluſit Lud. Claud. Bourdelin, Decanus.

Cui Decreto, die Jovis nono Maii, à Decano, in Comitiis, coram Facultate lecto, Magifter Henricus BESNIER, Thefeos author & Præfes, adhærere fe teftatus eft, hancque propofitionem, *unde fequitur, ingenium, utpotè quid è triplici fubftantiâ conflatum, & pofthâc cum illâ communicans, inde reparari*, eo fenfu quo mentem humanam effe quid *divifibile*, partibus conftans, *materiale*, & *materialis* reparationis capax aut indigum fignificaret, fe ex animo & bonâ fide ejurare declaravit. Hâc auditâ Magiftri Henrici BESNIER ejuratione, collectifque fuper eâ præfentium omnium Doctorum fuffragiis, cenfuit faluberrima Facultas, Decretum die Lunæ, 8° Aprilis, latum, typis mandandum effe, publicique juris faciendum. Et fic conclufit LUDOVICUS-CLAUDIUS BOURDELIN, Decanus. Datum Parifiis die Veneris decimo ejufdem menfis & anni.

BACCALAUREI EJURATIO.

Ego infra fcriptus faluberrimæ Facultatis Medicæ Parifienfis Baccalaureus, declaro me ejurare eam propofitionem, *Unde fequitur, ingenium, utpotè quid è triplici fubftantiâ conflatum, & pofthâc cum illâ communicans, inde reparari*, eo fenfu quo Mentem humanam effe quid *Divifibile*, partibus conftans, *Materiale*, & *Materialis* reparationis capax aut indigum, fignificaret, meque judicio à faluberrimâ Facultate, die Lunæ 8° Aprilis anni 1737, lato adhærere. Parifiis 9° Maii 1737. CAROLUS DIONIS, Baccalaureus Medicus Parifienfis.